



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

REVERENDISSIMO ET
ILLVSTRISSIMO DOMINO, Dn. IO-

ANNI PHILIPPO, ELECTO ET CONFIRMATO EPI-
SCOPO BAMBERGENSI, S. R. IMPERII PRINCIPI, &c.
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



VM omnis omnino Theologia,
Reuerend^{mc} & Illustr^{mc} PRINCEPS
summoperè prædicanda ac vene-
randa sit; tum verò illa potissimū
maiori quodam encomio ac cultu
digna videtur, quæ in formanda
conscientia, ac componēdis hominum moribus,
vnde moralis dicta est, occupatur. Huius quippe in
omnes sese partes latissimè fundit dignitas, vtili-
tas, necessitas. Dignitas quidem, quia hic nō agitur
de stulicidijs aut latifundijs, nec de rebus leuibus,
quæ parum interest, sic an aliter se habeant; sed de
possessione & hereditate vitæ æternæ, quæ tanquā
finis & merces conuenientibus rectarum actionū
medijs adeunda à Christo proponitur. Vtilitas ve-
rò, quia huius solius præsidio Christianus instrui-
tur, qua ratione actiones suas sic instituat, vt ad æter-
næ felicitatis brauium aliquando pertingat, atque
ad eò sic currat, vt comprehendat. Vnde facilè eiuf-
dem cōsequitur ac deriuatur peculiaris necessitas.
Neque enim de Metaphysicis subtilitatibus, aut
Philosophicis distinctionibus, quæ sine periculo
ignorari, & interdum etiam cum laude oppugna-
ri possunt, hic instituitur pertractatio; sed ijs de re-
bus, sine quibus nemo vel rectè Christianus esse,
vel salutem adipisci valet, imò ne ciuilem quidem
societatem, & quotidianam consuetudinem rectè
tueri.

aug. lib. 2.
de doct.
Christ. cap.
40.

Hanc autē castorum morum doctrinā vt integrā illibatamq; hauriamus, necessario sunt nobis Christiani Theologi adeundi, qui à Dei filio edocti, reiectis Gentiliū erroribus, puram nobis, & ad Euangelij normā probè exactam morū disciplinā tradiderunt. Nec spreuerunt tamen penitus inuēta Gentilium, sed quæ rectè & Christianæ fidei cōuenienter ab ijs prolata sunt; ea ad sua scripta transtulerunt, & ab eis tanquam iniustis possessoribus in suum vsū vendicarunt. Quòd sanè B. Augustini consiliū est, qui id ipsum pulchrè confirmat, exemplo filiorum Israël, qui in exitu de Ægypto secū Ægyptiorum opes asportarunt; & compluriū aliorum sanctorum, qui Gentilium disciplinis nobiliter fuerunt instructi. Quod argumentum quoque in epistola ad Magnum Oratorem Urbis Romæ B. Hieronymus eleganter persequitur.

Quanquam verò plurimi hanc spartam egregiè adornarint, tamen in tanta copia vt non conueniunt omnia omnibus, ita nec omnes omnium iudicio satisfaciunt. In alijs enim offendit obscuritas, nimiaq; prolixitas, qua omnia scholarum more, curiosè atque subtiliter persequuntur, quæ non facile assequi, aut capere possunt, qui non sint in scholis multum ac studiosè versati. In alijs displicet breuitas, ac nimis diluta tenuitas, qua res grauissimas raptim expediunt, & lectorem vacuum sapè dimittunt. Quod considerans R. P. IOANNES AZORIVS, è Societate IESV, nō minor Theologus quàm Canonista, qui totam pœnè ætatem in huiusmodi controuersijs contriuerat, sectatus est medium aliquod temperamentum, & vniuersam Theologiam de moribus ita pertractare instituit,

vt &

vt & satisfaceret doctis, & rudioribus sua ope succurreret. Nā & vulgari stylo, ac familiari per quaestiones docēdi modo vtitur, nihilq; omnino, seruata commodissima methodo, praetermittit, quod super hac re à cordatis, imò curiosis etiam hominibus, inquiri possit.

Quem cū à multis summoperè desiderari animaduertētem, me istypis subijcere in gratiam Germaniæ nostræ haud sum grauatus. Te verò vnum Reuerendiss. & Illustriss. Princeps, absoluto iam operi Patronum censui deligendum. Quòd Illustrissimam Celsitudinem tuam summis natalium imaginibus ex Nobili G E B S A D E L. familia effulgentem, & tanto Praesule dignis moribus ac doctrina conspicuam, impensè praclaris auctoribus delectari, & singulari fauore praeter cætera omnia rerum sacrarum, vt faset, studia prosequi didicissem. Quocirca non ambigo, quin acceptus hic noster conatus Illustriss. Celsitudini Tuæ sit futurus. Tantū rogo, vt nos quoque perpetuò Clientum suorū albo adscribere non grauetur. Ita Illustr^{issimam} Celsitudinem T^{am} nostro ac totius Germaniæ bono Diuina benignitas diu conseruet incolumem.

Coloniæ Agrippinæ, ex officina nostra Typographica, Anno à nato Christo Millesimo sexcentesimo secundo. die 28. mensis Martij.

*Reuerendiss. & Illustriss. Celsit. Tuæ
humillimus cliens*

*Antonius Hierat, Cuius &
Bibliopola Coloniensis.*